
ORATIO

Sub Euchariſtica Solennia



PRO

Felici Chriſtianoque Orbi optatiſſima

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

IOANNIS III.

IN POLONIÆ REGEM, MAGNVM DVCEM LITHVANIÆ,

Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kiiouiæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Seueriæ, Smolenſci, Cernicouiæ

ELECTIONE.

Præſente Eminentiſſimorum

S·R·E· CARDINALIVM

CAPELLA

IN ECCLESIA S. STANISLAI EPISC. MART. Nationis Polonorum.

DICTA

A IOANNE GNINSKI Palatinide Culmenſi.

Romæ Anno 1674. die 18. Iunii.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac.Pal.Ap.

I.de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædic. Sac.Pal. Apoſt. Magiſter.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO DOMINO

IOANNI III.

REGI POLONIÆ, MAGNO DVCI LITHVANIÆ,

Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kiiouiæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Seueriæ, Smolenſci, Cernicouiæque

Domino Domino Clementiſsimo.




NTER feſtiua Magnæ Romæ hilaria, quibus (annuente Patre Beatiſſimo,) quà Sanctioribus Diuorum ad Aras votis, quà triumphalibus per fora Vrbis, & compita ignibus, Sereniſſimo Nomini Tuo, condictus perſonabat dies; paucula hæc à me verba facta, Regium Sacræ Maieſtatis Tuæ ad Tronum, ſupplex defero, & depono. Rex Potentiſſime. Metuerem fateor non immeritum tenuitati meæ periculum, qui ſcilicet & de TE! tam exiguè, & ijs, (Romanorum nempè Principum apicibus) tam tenuimanorum, ac tantilla, ſum auſus proloqui; niſi, exiguitatem

tatem meam, Rerum Tuarum Maieſtas impleuiſſet; tenuitatem, gaudentis ad Nominis Memoriam Tui fauentiſſimi Auditoris aſpiria, exageratiſſimè ampliaſſent. Quo ego vno, & ſolo Magnitudinis Tuæ clypeo, quia non infeliciter in Vrbe me protexi: eodem ſub ipſo, in Regio etiam Maieſtatis Tuæ conſpectu, meum hoc primum fidelitatis homagium futurum non intutum, vti ſpero, ita quàm demiſſiſſimè à S. R. Maieſtate Veſtra deprecor.

S.ae R.ae M.tis V.ae

Fidelis Subditus

Ioannes Gninski.



ORATIO.



POST suspensos variâ spe, metuque spectantis orphanam Polonam nostram sortem Europæ totius animos; post audita Eximiorum Christiani Orbis Principum, non indecoro ambitu protensa vota; post expensa, multùmque partem in omnem librata liberæ Gentis consilia; datus est tandem, supremo Diuinissimæ Triadis auspicio, & propè die, Vnus ille, qui & arrectis multorum animis ad expectationem; & mutatis Serenissimorum votis Æmuloprum, ad satisfactionem, & sollicitis, multaque prospicientibus Electoris Populi studijs, ad solatium, spem, & felicitatem sufficeret. Datus inquam, (quod felix, faustum, fortunatumque sit) IOANNES SOBIESKI REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITVANIAE electus, acceptatus, proclamatus.

Non est, quòd fœlicem Nuncium hunc multis, aut Orbi Romano hic communem narrem ad lætitiam; aut claro Sole videnti sua gaudia Sarmatiæ nostræ, ad ingentis fortunæ indigitem gratulationem, siue enim Electum Principem cogito, siue socias, & amicas Gentes, siue nos, benè securus, & dicam, & edicam omnibus

E multis, Nobis Hic sufficit omnibus vnus.

Equidem superstitiosæ propiores assentationi, diuinationes illas crediderim; quæ ad suorum Mæcenatum, & Principum ornandam Maiestatem, symbolicis de Gentilitiorum Armorum figuris, aut præsagia delineant, aut appingunt decora (quasi verò enim, nepotibus, posterisque ab exsculptis leonibus, pardisque robur, micantibus à mucronibus, & telis bellica virtus, ineuitabilem gloriæ, meritorumque necessitatem imponerent). Diffiteri tamen nec debeo, nec possum, fatali passim Dei Prouidentia, Magnas ante Animas, & hæc ipsa stemmatum suorum appendi specula, quorum scilicèt pernici contuitu penetrent, quidnam, et sacra suorum Auorum, Atauorumque Antiquitas pro ijs meruerit, & ipsimet deinceps Suæ Fortunæ secuturis Heredibus, non degeneris tituli monumento, se cogitent, relicturos. Hinc est, quod etiam de splendidissimo Electi Principis nostri Clypeo, non vilem meam tacere nequeam cogitationem: cuius, vel ipso primo ab intuitu, vti paratum diu in hæc vsque tempora omen accipio; ita præsentis Illius, simulque nostræ sortis fæliciter euolutum veneror argumentum. Quid enim aliud, & ominari licet, & edicere? dum Natalibus omnium in Orbe Familiarum clypeis, varia impressa, insculptaque formarum intueor nomina, solus atque vnus (quem sciam) Inclytæ Sobiesciæ Domus Clypeus nullo hactenùs insignis vultu, signo notatus nullo, nudo duntataxat splendore, hucusque fulserit? Parabatur crediderim ego per antiquissima suorum Maiorum merita, limabaturque, digna hæc Tabula, cui Serenissimo in Nepote isto, Regalia Nomina Regum feram olim per posteritatem diu inscriberentur. Cessit sanè Paterno iure suo auita ipsa Illustrissimorum Atauorum authoritas, sacrumque voluit, vt hic vnus, præparato generis sui in Clypeo, totum id, quid quid se-

reniſſimis nouis à Titulis addere poſſet, non adderet, ſed primus daret. Felix, & vel hoc ipſo magnus, in quo ſcilicet Reges non deſinerent, ſed inciperent. Non inuidemus ſereniſſimis potentiſſimorum Regnorum cunis, & faſcijs; quæ ſuis populis Principes euoluunt imperaturos? Nobis (quibuſcunq; tandem turbis obnoxia lex ſit) aurea tamen, & pretioſa facta eſt, quod imperaturus omnibus, & debuerit, & potuerit eligi ex omnibus. Tantò certè, & ſublimior, & ſuæ virtutis (ſic dicam) Creatura glorioſior, quantò, ſine vllis ante regnatoris ſanguinis præiudicijs primus Hic meritis ſuis, delatum Regnum vt indueret, votis omnium meruit cenſeri, & eſſe dignior. Neque verò præcipite ſaltu conſcenſa hæc Maieſtas eſt, cui antiquiſſima Domus illuſtriſſimæ Nomina per ſummorum Poloni Regni Principum (huic enim titulo, Senatoria dignitas Polonis ſynonima eſt) curules gradum prouexere; quem proprius in Toga ſimul, & Sago Potentiſſimus, grandium muniorum honos, promouit: cuius nomen Heroa virtus, raraque omnium, poſſeſſio animorum, in hoc vſque Regali Summo faſtigio meritiſſimè collocauit. Immotos hic veneror ſacros, eius Maiorum tumulos, Palatinas Auorum, narratione importuna non detero Purpuras; Principis, primique in Regno Senatoris, Iacobi Parentis, (verè dixerim, ferro, & calamo Cæſaris, qui ſcilicèt & gerere bella ſciret, & ſcribere) inclytum nomen tacitus ſuſpicio. Cuius, ſimulque omnium Maiorum ad gloriam, Regiæque Maieſtati non imparem olim ad fortunam paſſus hic ſuffecerit; talem qui tantus eſſe dignè potuit, fœlicitèr genuiſſe. Sed potentioribus, quia proprijs perſuaſa Regia fœlicitas rationibus ſe dedit, & Regem dixit, cum nempè, qui zelo Fidei, Patriæ Amore, Legum cuſtodia, Iudicij maturitate, in ampliſſimo Mareſchalli munere (Patrem - Familias Regni vulgus vocat)

pu-

publicam rem, ita ſuſtinuit, vt tot illæ, quas vidimus turbæ non vltrà timorem formidandarum nubium duntaxat proceſſerint. Qui ſuprema Exercituum Regni Ducis, Poteſtate, tot hoſtes vicit, quot hoſtes Patriæ habuiſſe potuit, & viciſſe debuit. Illi, rebellis Coſacus, cumque eo potentiſſimus alter, (qui validis fomentis hanc ſubditam alebat flammam) Monarcha, victori ceſſit, quoue inſpectante, vltrà ſeptuaginta numeroſiſſimas, neque minus arte, quam deſperatâ pertinaciâ munitiſſimas Vrbes, pauculos intrà menſes, aut ſupplex dedit, aut inuitus reddidit. Illi, ſæpius repetitis cladibus, ferociſſima Tartarorum illuuies, in Regni finibus repreſſa, expulſa, diſiecta, profligata, ſuccubuit. Vidimus nuper, dum poſt infœlicem Barbarorum dolo Cameneci noſtri iacturam, effuſus Crymenſis Prædo, Ruſſiam, imò ad Cracouiæ, vſque Palatinatus pomæria Poloniam ipſam impune popularetur, imbelleſque populorum greges, ac innocentem Lectiſſimæ Nobilitatis ſexum crudeliſſimus leno miſerùm abigeret. Deiectæ ipſo in conſiliorum conatu, ſtupebant manus, paratique ad arma Ciues ſe ipſos metuebant. Non defuit rebus perituris haud ſegnis Ductor, pauculaque expeditiore, (quæ tamen tantos in auſus impar eſſe omninò credebatur) ſtipatus manu, vliginoſas per paludes, fœdoque Autumno teſqua ſtagnantia, quà curſu, quà ſerpendo, quà nando, plurium per leucarum, dierumque interualla, famens, inſomnis, eà demum conſtantia & felicitate, grauem præda hoſtem conſecutus eſt; vt qui abeuntem vix poſſe aſſequi ſperabatur, ab ipſa eidem occurrens fronte fortiſſimè inuaſerit, vltra vicena millia captiui populi excuſſerit, totoſque demum illos feroces cuneos, cæſis præcipuis Tartarici nominis Capitibus diſiecerit, profligauerit. Quid plura? Ille ipſe Regnorum Helluo Tyrannus Orientis, quam quantamque herbam Victori porrexe-

rexe-

rexerit? Sanctissima vidisti, & vides ad horas Roma in pendulo illo pedibusque Diuorum Principum tuorum, sub strato virore Mahometico. Biduum immo (quis crederet?) vix duarum spatium horarum fluxit, quo terror Christianitatis fractus est, delectissimus Othomannici Exercitus flos emarcuit, inaccessis firmum aggeribus, Bellicarum machinarum custoditum præsidio robur, fauente in-primis Catholicæ Pietati Numine, Secundis Diuorum suppetijs; viuis Ducis, Ductorumque Consilijs & exemplis, inuicta Christianam rem, gerentis militis manu excisum, protritum, debellatum. Parua hæc sunt! Immo maxima, & verè dixerim digna sola, quæ Bellatori Polono genio, in campo non in talamo æstimanti merita, Regale ad solium, Magno Principi gradum strauisse, & potuerint, & debuerint.

Hæc ego non tam Regis nostri Serenissimi Gloriæ (cui nil à me par dici vnquam potuit) quam communi nostrum lætitiæ, carptim dumtaxat memorasse volui quo scilicet verius magis quam copiosius, concordi hac meritissimum in Principum Gentis nostræ consensione, & non delusæ Amicorum expectationi Populorum, tanto electo in Rege, & gloriosæ dignissimorum Principum æmulationi, non imparis meriti ad rem Christianam sine præiuditio delecto in Heroe, & nostro Polonorum solatio, nostro de sanguine nato, oculis in nostris gloriâ, & meritis nutrito, quodque supra omnem omnium subditorum felicitatem est, in Fratre, Patre, simul ac Domino, abundissimè fieret factum satis. Cæterum, vt & felicius, & vberius hic qui iam nobis sufficit omnibus Vnus, deinceps etiam diù constante sufficiat felicitate, sanctissima Cæli Apostolici Sidera, Clementissimo influxu, & animos, & vires, sufficite. Dixi.

ROMÆ;

Typis Michaëlis Herculis. M.DC.LXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

